



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

15. Ex illegitimo matrimonio regis Proles anserino collo nata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Quale etiam fuit illud curuicernicum pecus, sani infelix imago, homo verè præposterus, de quo in vita S. Ludouici Francorum regis legimus, eum in mirabile monstrum esse demutatam. Inter ceteras D. Ludouici Galliarum regis virtutes eminuit mirabilis quædam moderatio, & victoria mandanæ vanitatis. Non ille fulgere in auro, non in purpura atque ostro nitere amabat, sed vestitu communi ac simplici regiam tegebat dignitatem. Itaque ornatus, quem ille à vestitu non petebat, à miraculis illi accessit. Accidit aliquando, vt Comes Geldriæ Parisios nuncium cum litteris mitteret, illico rediturum. Ex eo reuerso sciscitatur Comes: *Num regem Francia Ludouicum vidisset?* Tum ille, vel vt per iocum domino placeret, vel vt per sannam regem contemneret, improba imitatione collum contorquens & in humerum reijciens, *Vidi, inquit, vidi illum miserum papillardum regem grisea veste indutum ad scapulas caputium gerentem.* Dixit, & quod dixit, miserando modo expressit. Finierat enim vix ea verba, cum ecce, facies eius in collo rotata ac retrorsum acta, ita retorta permanfit, vt in contrarium intueretur, & iam, quod animà verè erat, etiam corpore homo peruersus esse videretur. Cui hæc tam monstrosè non videntis quò ambularet, deformitas est ascribenda? merenti, an punienti? Videre nequeo, quomodo in Deum culpa possit transferri. *Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se ab eo auertens respexerit retro, cum vxore Lot; iniuriosus, non curiosus, contra illud cælestis Magistri: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Itaque iure irrisor iste diuinæ iustitiæ est immolatus, sicut olim aues, *retorto ad collum capite.*

Defensa est in hoc monstro regis Galliarum virtus & sanctitas; punita alterius impietas in eo quod sequitur; non tantum capitis, sed etiam colli monstrosi, prodigio, cuius in historia Aquitanicæ fragmentis ex Pithæi collectione editis fit mentio. Sed satius est dare verba Petri Damiani Archiepiscopi Rauennatis & Cardinalis, qui ita scribit: *Deus omnipotens terribili exhibet etiam in hac vita iudicium, nec tamen miseri homines desinunt.*

CCCC 2

XIV

Sur. tom. 4.
in vita S. Ludouici.

Eccles. 7. 30.

Gen. 19. 26.

Luc. 9. 62.

Leuit. 1. 17.

XV.

Petr. Dam.
ep. ad Desiderium Abbat. Gallia.

Baron. t. 3.
An. 998.

desinunt iterare plectendum. Nam Robertus Gallorum rex, aui istius Philippi, qui in paterni iuris scepra successit, propinquam sibi copulauit uxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia colum & caput habentem. Quos etiam virum & uxorem omnes fere Galliarum Episcopi communi simul excommunicauere sententia. Cuius sacerdotalis edicti tantus omnem ubique populum terror inuasit, ut ab eius societate uniuersi recederent; nec, prater duos seruulos ad necessarij victus obsequium, illi remanerent. Qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus rex edebat, & bibeat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus angustijs, ad sanum consiliū rediens, diuortium fecit, inijcque legale connubium.

Geni. 47. 42.

Pharao, cognita Iosephi sapientia, vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Sic honoratur, qui sic meretur; alij qui ut anseres viuunt, ut anseres meritò etiam incedunt; aut in prole sua imaginem suam aspiciunt, quemadmodum rex iste, qui cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Quamquam castigatus respuit, demissaque ceruice collum iugo subiecit. Multi castigantur, & non emendantur, quibus expediret, ut suspenderetur mola asinaria in collo eorum, & demergerentur in profundum maris, ibi enim cum scandalis suis sepelirentur.

Jobi. 17. 26.

Matth. 18. 6.

XVI.

Thom. Cantipr. lib. 1.
Apum. c. 49.
9. 17.

Punitus etiam & emendatus monstro fuit ille Nobilis Theuto, adeò captus amore venandi, ut etiam Dominicis festisq; diebus, sacrificio missæ temploq; adesse negligeret. Adeò canum etiam, quàm Angelorum commercia vanis istis sunt iucundiora. Erat huic vxor moribus ita contraria, ut squalloris illuuei nitores splendoresq; auri contrarij sunt. Tota enim diuersis seruitijs fuit addicta. Quare vxoria potestate sæpe virum verbis castigabat, sæpe monebat, ut salutia suæ & Dei non obliuisceretur. Sed, ut fit, semper risu refutabatur, dicebatq; crudus venator, mulierum monitus, & ranarum strepitus eadem lance expendendos. Igitur quod femina non emendauit sua pietate, puniuit Deus natura errore. Si tamen error dici potest, tam clemens iustitia. Siquidem innocens vxor, per multos felices partus, tandem aduersa Lucina puerum peperit abortiuum, prodigiosi capitis, quod canis